

u te laudem op
manerat dignissim
ita erbis interius saf

fragimur. meus: dū
mōrē salutē. tū. tū. tū.

u ne tem illūtūtū
mōrē salutē. tū. tū.

Quoniam tu mōrē
mōrē salutē. tū. tū.
mōrē salutē. tū. tū.

Led
Sammelband 204

4

Vf 4139 C

BREVIS RE⁼
SPONSIO AD CONFESSIONEM
THEOLOGORVM VVITE-
bergensium de libero arbitrio.

Authore Zacharia Prä-
torio.

sc

Senerando ex dolo vivo tu
fome multo venturis studiis
amico ex fruvi, sibi transi:



ЕЯВЛНІ

МІКОЛА ІСІДОР АОЛАС
ІСТИЧУ МУЛОВІ АОЛАС

— віднайдено в Гендерні
— сюжет

FLACIVS DIC IT:
HOMINEM IN CONVERSIONE
NATVRA SVA SE HABERE VT
truncum, nihil agentem ex se se, imò repu-
gnantem, & hostiliter Deo
aduer sancem.

Anc propositionem Vitebergenses Theolo-
gi in sua confessione, quę exhibita est Augu-
sto Electori, mense Ianuario huius anni dam-
nant ac summoperè execrantur. Ego verò iterum
vos appello quicunq; estis, qui hæc scribitis & sentitis.
Quid vos in hac doctrina Lutheri & Illyrici desidera-
tis? Homo, an non est truncus in tantis, tam arduis, &
diuinis rebus, ad animæ salutem pertinentibus? Imò
ante restitutionem seu regenerationem Spiritus San-
cti, horum quiduis in eum conuenit, lapis, caudex,
stipes, asinus, plumbeus, quin exuperat eius stultitia
hæc omnia. Et quidem scriptura videtur alludere ad
similitudinem trunci, quando sic Dominus loquitur
Hosea.6. Dolaui eos per Prophetos. Quo in loco vti-
tur tali verbo, quod propriè dolare, sculpere, effodere
significat. Ich höftele vnd schnitz an euch/wie an ei-
nem groben Blöz. Sed hæc ita dicuntur, non vt
similitudinem de truncō per omnia approbemus, sed
vt declaremus, qualis sit passio in conuersione homi-
nis. Iam si offendit vos hoc vocabulum, ac magnam
diuersitatem esse dicitis inter hominem & truncum,
quia truncus sensu & motu caret, dicamus sanè homi-

A 2 nem

nem habere se ut brutum. Sed hoc est longè deterius,
quia brutum non solum patitur domitorem, sed etiam
repugnat, truncus sculptori non repugnat, sed tan-
tum patitur. Huc spectant illa verba Psalmi 32.
Nolite fieri sicut equus & mulus. Alloquitur enim
Propheta pios iam regeneratos per Spiritum Sanctū,
& hortatur eos, ne redeant ad pristinam illam suæ na-
turæ ferocitatem, qua omnes anteq; accipimus Spi-
ritum Sanctum, repugnamus DEO, neq; nisi chamo &
freno perdomiti, eius voluntati obsequimur. Propte-
rea sic eam sententiam expressi.

Semper equos mulosq; arctis inhibere capistris
Est opus, vt quorsum tu regis, ire velint.
Non ita vos decet esse pij, sed lora tenenti
Præstate obsequium per bona cuncta Deo.

Postremò, si & hoc vocabulum offendit vos, &
hic quoq; diuersitatem constituitis, quod brutum ca-
ret ratione, homo non caret: Dicamus sanè vobi-
scum, hominem se habere in cōuersione vt hominem,
quod iterum longè deterius est illo. Quia homo vt
animal compos rationis non solum patitur, neq; so-
lum recalcitrat seu repugnat, sed etiam recalcitratio-
nis rationem, atq; honestas causas habere se cogitat.
Nam & politicè verum est, homine nihil esse intracta-
bilius, qua de re Xenophon in exordio Pædiæ Cyri sa-
pienter differit. Sed in rebus spiritualibus, pertinen-
tibus ad salutem animæ, multo magis hoc verum est.
Quid enim grauius in hominē dici potest, quam quod
Paulus

Paulus dicit, Quicquid caro, id est, humana natura per se ante regenerationem sentit, cogitat, sapit, intellegit, vult, agit, id omne est ἐχθρὸς θεοῦ, hoc est, oppugnatio & rebellio aduersus DEVM. Phronematis enim vocabulum omnes facultates & appetitiones hominum per æquè complectitur. Sicut nota est eruditis natura verbi φρονέωσι. Et 1. Corin: 2. dicitur: Ψυχικὸς ἀνθρώπος, id est, totus homo cum corpore & anima non capit, hoc est, non approbat, **gleubet nicht / verstehtes nicht**, non potest intelligere quæ sunt Spiritus Dei, quia illa Spiritualiter intelliguntur & dijudicantur, seu spirituali modo de illis iudicium fieri oportet.

NIHIL AGENTEM EX SESE.

Omnino verum est de salutaribus actionibus in conversione, siue ad conuersionem. Harum nihil agit ex sese homo, sine Deo. Malarum vero agit plus satis.

REPUGNANTEM.

Quin Paulus ipse ait, legem membrorum, id est, naturam carnis cum tota sua sapientia & omnibus viribus ἀντίσφατέωσι, militare aduersus DEVM, bellum coelo inferre, ut Poetæ de Gigantomachia illa sua fabulati sunt. Itaque non solum repugnare, sed etiam hostiliter oppugnare, aptissime de homine dici potest. Sed vos non iudicatis haec spiritualiter, ut vult Paulus. Non cogitatis

A 3 turbu-

turbulentiorē esse statum cordis humani, quod varijs affectibus, & cupiditatibus à Sathanā huc illuc ruitur, agitur, rapitur, tunditur, atq; prosternitur, quām si duo inter se se hostiles exercitus concurrant.

NATVRA EST AVERSA A DEO
&c. Ergo homo habet se vt
truncus.

Hunc (vt ipſi vocant) Syllogismum, quem tantopere abominantur, videamus & in formam Syllogisticaṁ redigamus:

Quicunq; auersus est à DEO, seu qui natura est hostis Dei, non potest se applicare ad gratiam, vel cooperari aliquid ad conuerſionem seu reſtitutioñem ſui.

Homo auersus est á Deo, & natura est hostis Dei, non quidem originæ naturæ, sed degeneratione seu corruptione, qualis nunc est natura (Oportet enim ubiq; occurrere calumnijs)

Ergo homo non potest se applicare ad gratiam, vel cooperari aliquid ad conuerſionem. Quia conuerſio seu reſtitutio hominis est noua creatio, & homo conuersus est noua creatura, vt Paulus loquitur: 2. Cor. 5. Si quis in Christo est, noua creatura est. Exempli cauſa: Vulnus fauicij viatoris natura ſua inimicum est Samaritano, quia vulnus ipsam deſtruſionem corporis

poris facit. Samaritanus verò sanat, ac vulnus in pri-
ma sanatione, dum ligatur, nihil prorsus agit, sed
tantum patitur. Habetis Syllogismum. Quid au-
tem vos respondetis? Nempe in hunc modum.

TO TO PECTORE ABHORRE.
mus ab oratione illa.

Ille iste horror vester est horror liberi arbitrij,
Philosophica quadam ratione repugnantis veritati.

CONTVMELIOSA IN DEVUM.

Imò maximè est gloriosum, & acceptum DEO,
dicere: Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est
innoxium, sicut & filius dicit: Sine me nihil potestis fa-
cere.

ADVERSVS FILIVM DEI.

Contrà. Filius dixit: Nemo potest venire ad me,
nisi pater traxerit eum. Tu contrà putas te quasi ipsum
Deum trahere. Loquimur autem de initio conuersio-
nis, & de homine ante conuersionem. Postea enim
quis negat, quin homo renatus, & adiutus à Spiritu
Sancto velit, & verè velit? Quin in ipsa etiam conuer-
sione vult, & necessariò vult: Verum illud velle non
est ex ipso, sed ex Deo est.

AFFIRMAMVS stabiliri securitatem, &c.

Profectò non. Sed hæc tota ratio timorem ac re-
uerentiam Dei maximè excitat.

Et

ET ARCANA dubitationis &c. peccata.

Per Accidens hoc fieri potest. Nam hanc dubitationem Spiritus Sanctus delet in animis piorum. Habetus arrhabonem Spiritum Sanctum habitantem in cordibus nostris, & certificantem nos de gratia D E I. Qui habet Spiritum Sanctum, scit se habere, quia acquiescit. Sin dubitas, adhuc regnat liberum arbitrium, destitutum gratia Spiritus Sancti.

NISI COGANTVR REPVGNANTES.

Hyperbole. Nos non ita horridè loquimur, et si forte fallum non esset, sed dicimus: Credere nemine posse, nisi efficiente seu operante in eo fidem Spiritu Sancto. Fides enim nom solum est cognitio in mente, sed etiam fiducia, & consolatio in corde.

PROMISSIO gratiæ est vniuersalis.

Hæc est vestra ppositio & fundamentum (vt dicitis) immotum & indubitatum: Omnes qui credunt, nō peribunt. Ergo homo potest aliquid cooperari, & credere cum vult, Vel, vt mollissimè p vobis cōcludam. Potest se præparare ad fidem. Nos ad hoc vestrū fundamentum respondemus, mandatum & factum, promissionem et euentum plurimum inter se differre. Statim igitur obijcitis. Ergo Christus mandat impossibilita, cum ipse dicat: Si fidem habeatis, vt granū sinapis, nihil erit vobis impossibile. Matth. 17. Respōdeo. Verum dicitis, sed nos non habemus, ne minutissimā quidem fidem, scilicet, ex nobis. Deinde Christus de miracu

raculosa fide loquitur, quæ est peculiare donum, non concessum pariter omnibus in Christum credentibus Iterum obijcitis: Quomodo ergo potest Ioannes Baptista dicere: Credite Euangelio, si fides est res impossibilis humanæ naturæ? Respondeo. Nos docemus à posteriori, Deus agit à priori, ut in Scholis vñstatum est loqui. Iubemus credere homines, & posse illos affirmamus, operante in eis Spiritu Sancto. Neq; idcirco ordinem illum seu gradus tollimus, qui veluti à posteriori concurrunt ad conuersiōnem hominis, nempe lectionem, auscultationem, cogitationem verbi, quin necessariò requirimus tanq; medium & instrumentū, per quod datur & est efficax Spiritus Sanctus. Atq; illa omnia sunt adhuc historica & bruta, quæ sine Spiritu etiam fieri possunt, & subiecta sunt τῷ ἀντεξάστῳ. Ipse verò verus assensus verbi in intellectu, appetitus in voluntate, agitatio seu motus in corde, nō sunt nisi à Spiritu. Spiritus est enim qui vivificat, caro non prodest quicq; Ioan: 6. Nec quicq; valent sine Spiritu. Spiritualia enim spirituali modo apprehenduntur, 1. Cor. 2.

DEVM esse efficacem voce Euangeliū lecta
&c. & accepta fide.

Fide accipi posse vocem Euangeliū anteq; Deus per Spiritum Sanctum efficax in homine esse cōperit, negamus de vera fide, quæ est fiducia in Christum & motus cordis.

B Cum

CVM REPVGNAT VERBO, FA-
cit id volens.

Bene. Nam liberum arbitrium sua natura tendit ad malum, sicut magnes sua natura tendit ad Arcton. Id quod semel degenerauit, semper tendit ad deteriorius, non ad melius. Vinum corruptum semper magis corrumpitur. Quāuis igitur homo volēs repugnat verbo, tamen nō eodem modo volens accipit verbū, quia hēc duo cōtraria non sunt æqualia. Alterum natura nobis inest, alterum extrinsecus attribuitur naturæ.

ET PONUNT MIRABILIA MUNDI ASTRONOMIA
ut in horis rati dignitas liberi arbitrii, sed
Benevoliam

Quid hoc? Ego et alii non facio hoc et si sine
obligatione neque propono, nō facio hoc ut in dignitate
liberum arbitrii, sed Benevolia. Ergo vos dicitis apud
genuis in hominis fieri efficiere modicor? Videamus
Seylanius et id est Scharybdia?

COACTIO & violenta impressio.

Σδέν ένεσι συκοφάντας δίγματος. Nullum est re-
medium aduersus morsum Sycophantæ.

Illud ἀνακόλυθον.

Imò firmissimus Elenchus.

ESTQ; CONFUSIO ACCIDENTIVM.

Quorum accidentium? qualis confusio? an nostra
de accidentibus disputatio est, neq; potius de tota sub-
stantia hominis, hoc est, de toto homine, qualis nūc est
post

post lapsus, corruptissimus, deterimus, imò larua &
mācipium Sathanæ. Videte utri flagris sint digniores?

CONTRARIUM optima consequentia se-
quitur. Cum sit auerfa &c. non
repugnet.

Adeste, argumentum validissimum cognoscite.
Vnde ductū? A contrario. Quodnam illud? Caro est
auerfa. Ergo non repugnet. Pulcherrima mehercle
cōsequentia, à substātia ad accidens, siue ad actionem,
à natura ad mores. Vinum est corruptum. Ergo resi-
piscat. Iste est fatuus. Ergo fiat Doctor. Nihil dictu
facilius, siquidem possis. Verum adest, aiunt, Medi-
cus benignissimus. Quid si vulnera respuant Medi-
cum, & illa contrario modo agant? Vulnus aut agit
in destructionem corporis, aut patitur in restitutio-
nem. Medicus agit solummodo in restitutioñē. Vul-
nus itaq; aut agit in destructionem, ut dixi, aut pati-
tur in restitutioñē, sic & de homine vulnerato seu
lapsō iudicandum est.

NESCIENTE.

Nemo dicit, Nesciente homine fieri conuersionem.
Oportet enim in corde sentiri mot' nouos ortos à Spi-
ritu Sancto agitante cor atq; innouante. Sed etiam si
scit se conuerti, tamen nescit quomodo conuertatur,
sicut Christus dicit. Spiritus vbi vult spirat, & sonum
eius audis, sed nescis vnde veniar, & quorsum ten-
dat. Mera est igitur & inopinata gratia DEI,

B 2 Qua

qua homo conuertitur. Quid multis? plurima sunt
quæ non intelligit homo, cum tamen ea fieri sciat ac
sentiatur.

Infinitum discriminem est, inter agens ratio-
nale & voluntarium.

Verum discriminem est. Sed quorsum isthuc in spi-
ritualibus? Voluntas hominis psychici agit in illis,
quæ subiecta sibi sunt, vel suæ potestati. Spiritualia nō
sunt subiecta voluntati hominis psychici.

OPORET ESSE CERTITVDI-
nem in conuersis.

Hæc certitudo nō pendet ex libero arbitrio. Alio-
qui salus nostra & conuersio esset incertissima, quia
Diabolus est potentissimus. Sed arrhabo Spiritus San-
cti habitantis in nobis, certos nos facit de salute 2. Cori-
1. Qui nos & vos certos facit in Christum, & qui vn-
xit nos, Deus est, qui etiam obsignauit nos, ac dedit ar-
rhabonem Spiritus in cordibus nostris. Credens scit se
credere, sentitur consolatio in corde credentis. Certis-
sima est mihi salus mea, quia Deum credo certò in me
efficacem esse, quare? quia promisit, quomodo? Si au-
diam legem & Prophetas.

IDEO EX FIDE GRATIS, VT SIT
firma promissio.

Hoc

Hoc dictum pro nobis facit. Et ipse Philippus in
hunc modum explicabat, & vera est explicatio: Si pro-
missio penderet ex cōditione legis, vel ex dignitate no-
stra, nullus homo posset saluari: Si nostris viribus & o-
pera nostra salus comparanda nobis esset, quām citò
nos Diabolus sursum deorsum verteret?

Considerentur deniq; præter illos superius alle-
gatos Scripturæ locos, & alia quædam dicta. Ierem. 13.
Nunquid Aethiops mutabit pellem suam, aut Pardus
maculas suas? ita neq; vos potestis benefacere, cum af-
fueti sitis malefacere. Item cap. 30. Applicabo eum, &
accedet ad me. Quis enim est iste, qui applicet cor suū,
vt accedat ad me? Item cap. 31. Charitate sempiterna
dilexi te, ideo attraxi te misericordia. Oseç. 14. Sanabo
rebellionem eorum, diligam eos spontaneè. Ioan. 1.
Qui non ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. 2.
Cor. 3. Paulus de se ac suo ministerio dicit: Fiducia no-
stra hæc est, non quod possimus à nobis ipsis cogitare
quicq; quasi à nobis ipsis, sed quod possumus ex DEO
est, qui eam nobis potentiam seu facultatem concessit,
vt simus ministri noui Testamenti. Ibidem dicit circa
finem: Vbi Spiritus Domini est, ibi libertas est. Po-
stremò si quis, quantum valeat liberum arbitrium, ve-
rè cognoscere cupit, Pauli exemplum intueatur, qui
verè violento raptu conuertitur. Et cum audit, ac
sentit ipsum Iesum secum loquentem, tamen interro-
gat: Quis es tu Domine? Postea cum audit Iesum es-
se, amplias querit. Quid vis me facere?

B 3 Hæc

Hæc aptissimè congruunt cum sententia Lutheri, qui arbitrium hominis non liberum, sed seruum esse demonstrauit, & vicit. Vos, ne quid ab ipso didicisse videamini, ambiguas verborum formas usurpatis. Iam dicitis: Non solis humanis viribus fieri conuerzionem. Iam, Multa fieri in sanctis, in quibus ipsi se habent, ut subiectum patiens, & aliás aliter loquimini. Dicitis concurrere in conuersione Spiritum Sanctum, verbum & voluntatem, & tamen Spiritui Sancto primum locum nolentes volentes tribuitis. Quid aliud nos, quam de honore Spiritus Sancti pugnamus? Sed ita, ut nihil tribuamus voluntati sine adiumento Spiritus? Quid quod alibi sic docuistis? Hæc intentia tenenda & vera est. Voluntas humana non potest sine Spiritu Sancto efficere spirituales motus, quos Deus postulat. Quomodo ergo efficiet timorem DEI, fidem, & alias virtutes ad poenitentiam Christianam necessarias? Falsa est deniq; definitio: Liberum arbitrium esse facultatem applicandi se ad gratiam, quæ definitio repetitur (vultis enim locum vobis demonstrari) in locis communib; qui nunc extant editi post obitum Lutheri. Quod superest DEV M omnipotenter, æternum patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut stabiliat mentes nostras in vera doctrina, vosq; suo Spiritu Sancto erudit, ad sui nominis & gloriæ amplificationem,
Amen.

Zacharias Prætorius. M.



T
F
A
R
M

H
Y
M
55.
G
A
U



Jf 3988 A

X22.10.857



ut

et **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

Domine quia ab
obligis **sū** - **et** **et** **et** **et** **et**

